Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2933
Quelle:
Copyright:

unquam *Basileae* impressum fuisse, quamvis et ipse editor Parisinus, quem *Job. Cordesium* fuisse censent, in *Indice* praevio id dicat, deceptus forte a binis *Guillielmi* Sermonibus *de Pharisaeo et Publicano*, et *in Festo Apost. Philippi et Jacobi*, quos utique *Wolfg. Wissenburgius* in *Antilogia Papae Basil.* 1555. 8. publicavit, et ex ea *Edw. Brownius* in *Append. ad Fascic. Rer. expetend.* &c. *Lond.* 1690. ad *pag.* 43. f. retulit; unde emendandus etiam est *Jöcherus* in *Lex. Erudit.* adserens Opusculum nostrum in citata *Brownii* Collectione reperiri. De *Guillielmo* ceterum plura dicta sunt *Cod.* DXLIII. et seqq.

VIII. *fol.* 307. Sequuntur scripta *Sec.* XV. Et quidem I. *Johannis XXII. Literae* adversus tres Propositiones *Johannis de Poliaco* circa jurisdictionem sacram Mendicantium, quae incipiunt: *Vas electionis doctor eximius* &c. leguntur que inter *Extravag. comm. L. V. de Haeret. c. 2.* ubi datae dicuntur VIII. *kal. Aug.* nobis vero XI. *kal. Aug.* sed recentior manus adjecit: *Anno Domini* MCCLXXII. qui debet esse MCCCXXI. utpote *Johannis quintus*.

IX. *fol. eod.* p. 2. *Bulla alexandri quinti.* Incipit: *Regnans in excelsis triumphans ecclesia* &c. Roborantur per eam Constitutiones Praecessorum in favorem mendicantium editae, et articuli oppositi rursus damnantur. Data est *Pisis* IIII. *ydus Octobris* Pontificatus *anno primo*, qui est MCCCC. IX. Deest in *Bullario Romano*, sed adi *Ciaconium* in *Vit. Pontiff.* T. II. *col.* 783. et *Egassium* in *Hist. Univ. Paris.* T. V. p. 196.

X. *fol.* 310. Acta circa hanc *Bullam* in Concilio *Constantiensi*, quae I. complectuntur Petitionem Universitatis *Parisinae*, ut haec Bulla tanquam extorta aut subreptitia a Concilio aboleatur. Initium: *Oblata reformatoribus in Constantia per nuncios Vniversitatis Studij parisiensis. Quia Reuerendissimi Patres et insignes domini Alma mater nostra vniuersitas studij parisiensis semper habuit et habet zelum legis* &c. II. *Responsio data per fratres mendicantes oblata reformatoribus.* Incipit: *Reuerendissimi in christo patres et domini metuendissimi ad petitionem ut fertur factam ex vniuersitate venerabilis studij parisiensis, qua petitur ut per hoc sacrum Concilium generale reuocetur quedam bulla* &c. III. Articuli quidam sic inscripti: *Magistri parisienses rogauerunt Magistros aliarum vniuersitatum quatenus eis consulerent an infra scriptos articulos petere deberent a sacro Concilio et si sic quod tunc eis in hoc assistere dignentur.* Non igitur erat contenta Universitas *Parisina* revocatione *Bullae Alexandrinae* per *Johannem* XXII. facta *Bononiae 5. kal. Jul.* anno suo *primo* id est 1410. sed eam a Concilio etiam generali antiquari voluit. Ceterum, quae in hac controversia hic acta indicavi, nec apud *Herm. von der Hardt* in *Conc. Const.* nec apud *Egass. Bulaeum* in *Hist. Univ. Paris.* nec

in